Q. D. B. V.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

OPHTHALMIA,

Quam,

Duce & Auſpice Summo Archiatro,

Decreto atque Autoritate

MAGNIFICI SENATUS ASCLEPIADEI

in Illuſtri Athenæo SALANO,

PRÆSIDE

GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO,

Medic. Doctore, Archiatro & Theoretices Profeſſore Publico, Facultatis ſuæ h. t. Decano, nec non S. R. I. Natur. Curioſ. Adjuncto,

PRO LICENTIA

Summos honores & Inſignia Doctoralia in arte Medicâ ſolenni ac legitimo modo acquirendi,

Publicæ Philiatrorum cenſuræ offert

AMBROSIUS REHME,

EISENBERGA OSTERLANDUS,


In Auditorio Majori,

Ad diem Octobr. horis ante & poſtmeridianis,

A. O. R. MDCLXXXIV.


JENÆ,

LITERIS KREBSIANIS.



I. N. J.

PROOEMIUM.



Ltâ turri collocatus vigil publicus non tantùm ad hostem extraneum imminentem arcendum impendit curas, monendis ab ipso maturè civibus; sed maximê ne flamma vorax urbem consumat, quâ ex oriente ferali signo periculum denunciat.

Supremâ in speculâ corporis locati sunt oculi, sanctioris regiminis emissarii primi, ut, si quid mali immineat, caveri & dirigi motus in salutem totius possit.

Sin ipsa turris vel fulgure quassa ardeat, vel aliunde insolitas experiatur flammas, tota urbs stupet. Idem in excubiis microcosmi contingit.

Omnibus hæ prospiciunt membris, arceantque discrimina præsentia, mox monitis pedibus, manibus, aliisque apparitoribus, ne quid detrimenti capiat respublica.

Et ipsi tamen oculi suos patiuntur manes, seu cœlo contermino compatiantur, indeque grassantes experiantur ignes, seu inferiori loco flamma huc ascendat. Tristantur hoc incendio, nec fungi munere suo possunt amplius, quousque faces accenduntur dolorum, & in ambitum exporrigitur ignis.

Affluunt undæ uberes domesticæ, ast alunt potius ignem, quàm extinguunt. De rubore hoc flammeo oculo-

rum, qui ophthalmiæ nomine venit, dicere aggredimur, à summo numine divinam implorantes opem!

TRACTATIO.

§. I.

Quandoquidem de Ophthalmiæ naturâ & curatione dissertari sumus, operæ pretium fore existimamus, ut de ὀνοματολογίᾳ necessaria quædam præmittantur. ETYMOLOGIAM quod attinet; ὀφθαλμίας vocabulum origine Græcum est, nec minus usu receptum Latinum, ut plurima alia apud medicos, quandoquidem à Græcis ad Latium progressa est ars medica. Dicitur ita à parte affectâ, ἀπὸ τοῦ ὀφθαλμοῦ, *ab oculo*, uti nõ pauci quoq; alii morbi, teste *Galeno l. 2. M. M. c. 2.* qui hoc ipso pressius statim significant & innuunt vel solo nomine læsionem præternaturalem, & locum læsionis ipsum simul.

§. 2. Quamvis verò, vel ex ipsius vocis ophthalmiæ genio, per eandem omnes oculorum læsiones comprehendi posse videantur, uti hoc sensu *Hippocratem 3. aph. 11.* locutum quidam asserunt, quarum Græci verbosiores ultra sexaginta propriis nominibus designarunt, & *Cardanus de aquâ p. m. 1460.* supra quadraginta talismodi affectus dari scribit; Nihilominus usus dicendi magister, imò tyrannus sæpe, obtinuit, ut tantùm de certo oculorum morbo dolorifico ac molesto accipiatur, ut si ophthalmiam dixeris, inflammationem intelligam & huic cognatos alios vel comitatos affectus, seu potius in latitudine suâ spectatam.

§. 3. SYNONYMA si spectemus, vocatur per periphrasin Græcis φλεγμονὴ ὀφθαλμῶν, Latinis inflammatio oculorum. *Celso* audit lippitudo, ab adjuncto, quod in eo malo lachrymæ fervidæ ex oculis stillare solent. Hanc in rem notandum est, lippitudinem duplici sensu accipi posse, latiori, pro quâcunque illachrymatione, involuntariâ & morbosâ,

bosâ, seu cum inflammatione, seu sine eâdem, quorsum & coalitus palpebrarum, infantibus non infrequens, referri potest; strictiori pro ophthalmiâ ipsâ. Sufficit vel una hæc medicorum Ciceronis autoritas, ophthalmiam veram nomine lippitudinis exprimentis; unde lippitudo modò humidam ophthalmiam denotat, de quâ *Horatius l.1. sat. 5. v. 30* canit:

Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere. —— —— ——

Quod etiam notus ille versiculus de eodem & Virgilio, dyspnœâ forte laborante, exprimit:

Hic inter lachrymas sedet & suspiria Cæsar.

Modò de siccâ Ophthalmiâ, vel pumiceis oculis, juxta *Plautinam* phrasin, accipitur eadem. Adeoque non raro ophthalmiam comitatur, vel spuriam constituit, eandemque etiam aliquando præcedit. Vernaculâ nostrâ ophthalmia audit die Entzündung der Augen/ Augenweh / Augenbeschwerung / rothe flüssige Augen.

§. 4. DEFINIRI potest affectus, quod sit inflammatio tunicæ adnatæ oculi, cum rubore, dolore, & illachrymatione, à στάσει sanguinis acrioris.

§. 5. GENUS est inflammatio, morbus communis, seu de singulis quasi classibus participans. Absolvit enim eandem morbus intemperiei calidæ primariò, adest verò secundariò & vitium conformationis, ratione tumoris seu magnitudinis auctæ; ac denique dolor affligens solutionis continui index est, & ita rectissimè à medicis inter compositos refertur. Confirmat assertum *Galenus lib. de diff. morb. cap. 13.* ὀφθαλμία, *inquiens*, φλεγμονὴ τοῦ ἐπιπεφυκότος ὑμένος ὑπάρχουσα. *Ophthalmia est inflammatio adnatæ tunicæ.* Sumitur autem nomen inflammationis latè pro quâcunque intemperie cum rubore conjunctâ, reliqua adjuncta modum & gradum dicunt, unde de verâ & exquisitâ ophthalmiâ,

 quod

quod & de aliis morbis valet, καὶ ἐξοχὴν instituitur tractatio. Estque hæc ipsa pro cujusvis partis modulo judicanda.

§. 6. SUBJECTUM PRIMARIUM, seu radicationis, est tunica adnata, conjunctiva aliàs dicta, album oculi, si sensum & usum terminorum attendamus. Levis hæc & tenuis à pericranio orta, omnium extima atque ossi proxima. Afficitur verò præcipuè quoad vasa arteriosa, venosa, & substantiam nerveam. Quamvis enim, si benè habeat, nulla talismodi vasa inesse videantur sanguifera, vel paucissima & rara solum vestigia; attamen vel morbus hic eadem satis superque patefacit. Hinc ut aliæ membranæ suos in hoc manes patiuntur, pleura, periostium & aliæ: sic non minus hæc oculi communis membrana integens inflammationem subit.

§. 7. SUBJECTUM ADÆQUATUM seu pars affecta ratione denominationis est oculus totus, affabrè factum & admirandum visionis organum. Præter dictam enim adnatam tunicam, aliæ quoque non rarò partes, videlicet palpebræ, musculi & tunicæ reliquæ, nimirum uvea & cornea, imò humores in bulbo latitantes proprii, (inprimis aqueus, hinc & crystallinus & vitreus) afficiuntur; sed hoc fit secundariò magis, unde non sine subjecto primariò affecto vel patiente dicto afficiuntur.

§. 8. CAUSA inflammationis oculorum PROXIMA est ῥευματισμὸς, proprius sanguini & sero conjunctis, ἀθρόως καὶ βιαίως, *confertim & cum impetu* magis fiens. Hinc cum plus affluat, quàm refluat sanguis, poros tunicæ, quibus allabitur, replet, ibique στάσιν quandam nanciscitur, nec à venis recipitur, adeoque in circulo suo impeditur, unde & vasa prius occultata & abdita in conspectum prodeunt, color ex albido in sanguineum vertitur, solutio continui fit & reliqua tragœdia peragitur.

§. 9. Ut verò inflammationem absolvit ῥεῦμα συνιστάμενον, *fluxio jam consistens*; ita CAUSA MEDIATA PROXIMIOR est ῥεῦμα ὁρμώμενον, *impetus humoris*, quoad *essentiam*, alimen-

mentaris ſanguinis ſeroſi, undecunque illam velut ſpinam acquirat. Facit huc ipſa *quantitas* ſaltim reſpectiva, cum ſanguis in tunicam adnatam, palpebrisque ſuccinctam, in nimiâ copiâ exundat & recipitur, ut vaſa diſtendantur, diſtenſa quaſi divellantur, unde tumor partium vicinarum interdum ſimul exoritur. Pondus addit *qualitas* intenſior, calida, bilioſa à ſalibus inæqualibus oriunda, quâ ſalſedine, acrimoniâ & mordacitate teneræ, delicatæ & ſenſiles, illæ roduntur partes, ſicque moleſtiam, dolorem, ruborem aliaque plura mala reportant. Quandoque, ſi in minoribus moleculis mali cauſa conſiſtat, *vaporibus* id adſcribunt autores, conſimili charactere, utut remiſſiori, gaudentibus.

§. 10. Præcipuè verò ultimum & maximum momentum addit *motus*, ſeu circulus læſus ſanguinis. Partes hæ ſeroſæ & exangues pro alimento magis ſibi depoſcunt ſerum, tanquam conforme ſubſtantiæ ſuæ, quæ ratio etiam dari poteſt, cur pauciores venulæ, magis pro vitali calido, quàm nutritiâ alimoniâ huc amandentur. Quandocunque verò vel ſanguis ampliores affectat vias, proprio licet intempeſtivo motu, vel lympha acrior lancinans poros dilatat, & peregrinum hoſpitem invitat, inflammatio talis oboritur, utriusque vitiato motu, quod phænomena teſtantur, lachrymæ enim ſero, rubedo ſanguini accepta ferenda. Adeoque qualitas infenſa ſanguinis non ſemper à priori adeſt, vel *in toto*; ſæpe in ſaniſſimis cœteroquin fiente ophthalmiâ, ſed ſæpe quoq; à poſteriori, illapſu tali procurato, vel ipsâ partis debilitate nativâ vel adſcititiâ velificante. Hæc ut ophthalmia eſt κατ' ἐξοχὴν, humida magis & vera; ſic quando ſerum minus unà concurrit, & ſulphure ſuo expanſo ſanguis præcipuè, etiam deficiente quaſi ſero, in poros hos ingruit, fit ξηροφθαλμία dicta potius, ſicca & ſpuria, ſanguis enim ophthalmiæ cauſa, modò purus eſt, modò pituitoſus, modò bilioſus, unde diverſi gradus inflammationis conſurgunt.

§. 11. VIÆ, per quas ſanguis adfluit, recipitur & hinc inde in partem affectam diſtribuitur, ſunt arteriæ, ex legibus

circu-

circulationis, remotius venæ & vasa lymphatica. Nec opus est, ut PARTEM MANDANTEM specialem laudemus, sufficit ipsa ὦσις, *pulsio* universalis, & ἕλξις, succedens infixæ huic spinæ. PARS RECIPIENS est exquisitissimi sensus, non tàm quoad vasa, quàm quoad poros minutissimos, quos illatus calor & dolor dilatant & archeum stimulant, sicque eandem læsionem maximè adjuvant.

§. 12. CAUSÆ MEDIATÆ REMOTIORIS titulum subeunt omnia illa, quæcunque vel humoribus vitalibus addere stimulum, vel ipsos oculos irritare & molestare possunt. Ex NATURALIBUS id præstat TEMPERAMENTUM calidum & humidum, calidum & siccum, tùm totius, tùm partium, fluxionibus & ardoribus obnoxium. Licet enim & corpora temperamentis aliis gaudentia in ophthalmiam pariter incidere possint; attamen in illam sicca & calida magis inclinant.

§. 13. ÆTAS juvenilis quantum conferat, in aprico est, in hâc enim calor innatus majorem acquirit acrimoniam & motum, aliique in victu errores facilè committi solent, & ita præ reliquis ad productionem acrium & salsorum humorum fit dipositio.

§. 14. SEXUS virilis frequentius hoc malo affligitur, ob calidiorem & biliosiorem sanguinem; fœmininus verò respectivè rarius, ob humiditatem temperantem salia, & quod ad uterum magis fiat decubitus ac exitus sanguinis. Hoc verò beneficio naturæ cessante in senio frequenter videas vetulas hâc laborantes, quarum rubedo ferè in proverbium abiit. HÆREDITARIA tandem DISPOSITIO, uti in plurimis aliis affectibus, ita & in hoc locum habet; è lippis enim lippi geniti subinde illud approbant.

§. 15. Ex NON NATURALIBUS plurimum confert AER, quoad anni constitutiones & aliàs varians, præprimis æstivus, calidus; & siccior, ad flavam bilem copiosè generandam idoneus, & ophthalmiæ ferax habitus *3. aph. 16.* item inæqualis quoad tempora anni, unde si hyeme siccâ prægressâ & aquiloniâ,

aquiloniâ, ver pluviosum & australe fuerit, æstate ophthalmias fieri necesse est, mulieribus præsertim & viris naturâ humidioribus, *3. aph. 11.* vel contrà ea si hyemem australem, pluviosam & clementem, ver siccum & aquilonium excipiat *3. aph. 12.* Idem non minus valet quoad quotidianam constitutionem. Aer frigidus aquilonius huc facit, quatenus suâ constipatione obstruit poros, sicque calida effluvia retardat, humoresque in oculis calidos reddit, imò ipse quoque *τὰ ὄμματα δάκνει, mordet oculos, 3. aphor. 17.* Frigus ergò dum urit & coagulat humores, torpidosque reddit, facilè *στάσιν* excitat, maximè, cum oculi injuriis aeris sint expositi præ aliis, unde memoranda etiam *πνεύματα προσβάλλοντα, venti irruentes.* An verò ab oculi quotidianâ lotione frigidâ institutâ oriatur, quod *Hildanus* notat, dubitamus, latente sine dubio aliâ causâ, cui id adscribi debuit. Callum enim quasi in perferendo frigore contraxêre oculi, ut nisi mordeat, & magis improportionatus fuerit, non æquè noceat. Quin frigida potius aqua affluxum lotione impedit & defendit. Atq; hinc non rarò etiam epidemiæ ophthalmiæ observantur, ob aëris talem constitutionem, frigidam & humidam, qualem memorat observatam *Amatus Lusitanus cent. 7. obs. 80.*

§ 16. In Cibo & Potu commissi errores mali productionem adjuvant. Salina, acria, fermentativa & corruptioni facilè obnoxia, omniaque aromata calidiora adhibita symbolum addunt. Speciatim insidiantur oculis usus ceparum, allii, raphani, seminis sinapi, cannabis, lactuca, fabæ, lentes & alia vaporosa, vel nervoso generi inimica. Sale atque fumo adornati ac indurati cibi uti scorbuticis malis variis, ita & huic excludendo obstetricantur. Potus vini potentioris & generosi, immodicè sumti, sanguinem accendit & serum exacuit, unde ad oculos facilè amandari possunt fluxiones. Hinc inter mala à vino oriunda etiam oculorum rubedo memoratur à sapientissimo Rege *Proverb. c. 23 v. 30.* Intendit id etiam *Martialis* de Aulo, vini potore nobili, *l. VI. 78.* ita canens:

Huic dicit Medicus, bibas caveto,
Vinum si biberis, nihil videbis.

Tabaci fumus, in societate cerevisiæ immoderatè admissus, huc quoque reducendus, utpote, qui ad fluxionem oculorum foris atque intus fores aperit.

§. 17. MOTUS & QUIES, SOMNUS & VIGILIÆ modum debitum excedentia in avia præcipitant humores; illorumque stagnantium agitationem, & cruditatum novarum generationem accelerant. Sic omnis vehemens exercitatio oculos quoque damno suo mactat; sic saltationes in multam noctem protractæ; sic lucubrationes, ut quietis, sic & sanitatis velut fures nocturni, ophthalmiam pariunt sæpissimè.

§. 18. EXCRETA & RETENTA tàm utilia, quàm inutilia, si non legitimo modo aut tempore fiant, culpâ non vacant, præcipuè quæ per emunctoria sensuum, os, aures, nares, ipsosq; oculos excerni debent, si intermittantur, humores stagnantes facilè ad oculos redundant, ibidemq; salia sua infigunt. In mulieribus mensium suppressio occasionem uberem hujus affectûs suppeditare potest. Si enim menses ipsos per oculos prorupisse verum est, testibus *Schenckio lib. 4. observ. 257. p. 257. Dodonæo, Observ. Medicinal. c. 15. p. 34. Lud. Mercato lib. 1. c. 7. de mulier. affect.* aliisque, cur non ibidem inflammationem causari queant? Exemplum talis Ophthalmiæ à mensibus retentis recenset *Gabelchoverus Cent. 3. cur. 61. p. 99.* Nec excretiones nimiæ immunes sunt, ob fermentationem conjunctam, quale quid de venere immodicâ quidam annotarunt, nec experientia deest.

§. 19. EX ANIMI PATHEMATIBUS memoranda tristitia & conturbatio, unde & lympha plus justo salina fit, & lachrymarum profusio, utraque consequenter ophthalmiæ occasionem præbentia, vel eandem præsentem adaugentia. Hinc à lachrymis rubent ordinariè oculi, eliquatâ sic per glandulas lymphâ, accersitis salibus, liquatis & immersis quasi è centro suo spiritibus animalibus, indeque tum noxæ plurimæ oculorum, tum ophthalmia scaturiunt.

§. 20. Huc referendæ sunt porrò multæ RES aliæ EX-

TERNÆ, v. g solis flammantes radii, ignis, flamma & fulgur oculo accersunt malum, imò nix ipsa, & quodvis sensile excellens, seu ὅσα λαμπρότερα καθ' αὐτόν ἐστι, *quæ splendidiora sunt, quàm ipse est*, lædere apta sunt. Infamis hoc nomine est & fumus, qui, quò acrior est, & propius ac crebrius oculos impetit, eo majorem illis molestiam concitat. Sic artifices, quibus cum metallorum & mineralium fusione, probatione aut aliâ tractatione negotium est, tum ob dictam objecti luminosi eminentiam, tum ob conjunctum non rarò gas venenosum acre, inter alia mala etiam facilè aufferunt inde ophthalmiam, qualem à suffitu cinnabaris & ☿ii ortam *Hildanus cent. 2. observ. 24. p. 102.* notat. Adde πᾶν, ὅ, τι ἂν ἐμπέσῃ, *omne quod inciderit*, pulveres, præcipuè adurentes, casu quandoque, aut vindictâ ab iratis in oculos inspersi, uti de calce (quale exemplum nuperrimè in murario vidimus,) cineribus, arenâ aliisque similibus notum est. Insuper etiam omnia mordacia & salina, nitrum, ⊕lum, ærugo, alumen ustum, ☿ & ♁tatus, ac similia, quæ facultate rodendi oculũ lædunt, fluxionem, præeunte calore vel dolore, movent, stimulant, calefaciunt & inflammant, ophthalmiam non modò oculo accersere, sed & præsentem deteriorem reddere valent.

§. 21. Causas ejusmodi recensitas tàm internas quàm externas brevibus non inconcinnè comprehendit *Schola Salernitana*:

Balnea, vina, Venus, ventus, piper, allia, fumus,
Porrum cum cepis, faba, lens, fletusque, sinapi,
Sol, coitusq́, ignis, labor, ictus, acumina, pulvis,
Illa nocent oculis, sed vigilare magis.

Idem *Levin. Lemn. l. 4. de occult. naturæ miraculis c. 6.* ubi de oculorum læsione agit, confirmat: ventus, *inquiens*, aeris constitutio, regio, morbi, affectus ac perturbationes animi, immoderata venus, inedia, somnus & vigilia immodica, crapula, oculorum cùm colores, tùm spirituum atque humorum qualitates immutant.

§. 22. Res Præter Naturam variæ occurrunt, aliæ quidem remotius, aliæ proximius afficientes. Laudari poteſt hanc in rem intemperies viſcerum, cerebri, hepatis, ventriculi, mala coctio & chylificatio; præcipuè verò febres. Sic in variolis & morbillis ſæpisſimè etiam oculi infeſtari ſolent, pueris cœteroquin & infantibus, ob humorum moderationem, rarius affligi hoc malo ſolitis, niſi gravior diſpoſitio adfuerit. Accuſandæ etiam veniunt variæ obſtructiones, vomitus nimius, ob faciei inflationem coarctivam, ut non repetamus violenta externa oculis illata, cum admodum impatientes ſint tantum non omnis duri, aſperi, acuti, vel qualitatibus ſapidis aut acribus præditi. Affines verò affectus ophthalmiam facilè ſibi ſociant, catarrhi, coryza, tuſſis, & dolores capitis. A dyſenteriâ graviſſimam & oculis propemodum fatalem ophthalmiam obſervavit *D. Præſes* in viro primario. Obſervatur etiam ſubinde juncta ophthalmia lui venereæ, teſte præter experientiam *Job. Stephani Decade 7. Conſ. 5.*

§. 23. Nec reticendum eſt contagium, quandoquidem de ſubjecto ægro facilè tranſit in ſanum, partim ob conſenſum archei, qui tali aſpectu triſtatus fluxum conſimilem facilè patitur, uti illachrymari & commoveri oculos, in inflammatos alteros reflexos, ſenſu percipimus; partim ob effluvia acria, calida, quæ converſatione derivata in oculos ſanos eosdem μιάσματι ſuo afficiunt. Non audiendi itaque, qui contagioſam dari negant, ut videtur *Plempius Ophthalmogr. l. 5. c. 2. p. 318.* Contagioſa eſt tum per ſe, quod diximus, præſertim ſi longior fuerit & alia contagii requiſita reſpondeant; tum per accidens juncta aliis malignis, ut febri Hungaricæ, peſti & aliis. Innuit id *Poëta* ita canens:

Dum ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi,
Multaque corporibus tranſitione nocent.

Novit *D Præſes* uno infante ophthalmiâ longâ correpto alterum fratrem minorem natu per contagium tale eosdem paſſum manes, ut utrique conjunctim diu moleſtiâ tali afficerentur.

§ 24. Re-

§. 24. Relictis causis progredimur ad DIFFERENTIAS & gradus Ophthalmiæ, cum in prognosi & curatione multùm attendi mereantur. Sunt autem ratione GENERIS inflammationis hujus tres potissimum differentiæ, nominibus separatæ, & partim loco, partim magnitudine distinctæ. 1. Τάραξις seu *conturbatio*, quæ principium inflammationis est, ubi oculus humidior reddi, rubere & dolere incipit, idque à foris adveniente causâ, adeoque ophthalmia notha seu levis dicitur, quia, remotâ ejus causâ, ferè removetur, item epiphora. 2. *Ophthalmia*, id est, vera inflammatio oculi; quæ fit, cùm à copiosâ affluente materiâ calidiore membrana intumescit & dolore insigni tentatur, oculi incalescunt & illachrymantur, atque deinceps, cum ad concoctionem pervenit materia, in angulis oculorum sordes quædam albescentes & lentæ concrescunt, quibus interdũ cilia ita agglutinantur, ut disjungi facilè nequeant, unde etiã lippitudinis nomen hæc inflammatio accepit. Et hæc, juxta *Ebnsinam l. 3. fen 3. tr. 1. c. 6.* apostema simplex est in conjunctivâ, nõ pertransiẽs terminũ exuberationis venarum, fluxus & doloris. Hæc media est, respectu ταράξεως gravioribus, respectu χημώσεως mitioribus symptomatibus stipata. 3. χήμωσις, qui summus ophthalmiæ gradus dicitur, quando ita increvit inflãmatio, ut etiam corneam tunicam occupet, symptomatibus ophthalmiæ veræ ita intensis, ut utraque palpebra inflammata simul intumescat & velut invertatur, nigro oculi depresso, ut veluti hiatus in oculo appareat, & visus ferè prorsus auferatur.

§. 25. Ratione SUBJECTI quandoque alteruter, quandoque verò ambo oculi, ob consensum viciniæ & officii, patiuntur. Sic interdum sola tunica adnata, interdum etiam vicinæ oculi partes aliæ, ob magnam inflammationem in consensum trahuntur. Alia πρωτοπαθικὴ est, alia δευτεροπαθικὴ. Ratione CAUSARUM totuplices esse possunt species ophthalmiæ, quotuplices ejus causæ sunt in præcedentibus enumeratæ; alia quippe à sanguine puro, alia ab humore bilioso, pituitoso, seroso, melancholico, salso. Alia à causis in-

ternis, ab externis alia; alia contagiosa, alia minus; alia epidemia, alia sporadica.

§. 26. Quædam à *motu* est *periodica*, quæ periodos habet & intervalla, nec diu durat, sed modò intermittit, modò redit, sicque per intervalla tunicam adnatam affligit, teste *Galen. l. 2. de diff. febr. cap. 11.* *Tempore* etiam differt ophthalmia, alia in initio, augmento, statu, declinatione.

§. 27. SIGNA DIAGNOSTICA pensitanda veniunt respectu GENERIS, seu ipsius inflammationis. Latere hæc nescit, sensibus obvia. In ESSENTIALITER INHÆRENTIBUS venæ distenduntur & conspicuæ evadunt, oculus rubore, ardore & dolore afficitur, lachrymæ plus minus, pro caussarum conditione & vehementiâ, ab humore tenui exstillant. Tumor æstimandus ex climatis ipsius & bulbi modulo, magis intensivus hoc loco, quàm extensivus. Nec suppurandi deest potentia, quæ singula de essentiâ sunt inflammationis. In ESSENTIALITER CONSEQUENTIBUS adest imminuta videndi actio, oculo connivente & lucem refugiente. Fungi enim officio suo dolens, tumidus ac lachrymis afflictus nequit, nec palpebræ diduci sine molestiâ semper. Palpebrarum quoque fit coalitus tempore matutino, qui debetur concretioni humorum noctu affluentium, sed minus effluentium ex illis ita ac interdiu. Quin pupilla subinde angustatur & unguiculo obducitur, crispatis fibrillis. Sæpe etiam depravatur visus, objectis omnibus rubris apparentibus & flammeis. Conjunguntur sæpe dolores capitis, febris ipsa faces dolorum accensos majores sequitur, & suppuratio, nisi caveatur, succedit. Tacemus vigilias & alia.

§. 28. Ratione SUBJECTI, an solùm adnata tunica, an bulbus oculi totius, ejusque musculi, an unà palpebræ sint inflammatæ, colligitur ex gradu inflammationis. An per essentiam vel consensum, ex aliorum signorum communium & propriorum præsentiâ & absentiâ patet. Illud colligitur v. g. si dolor capitis & gravitas præcedit, vel conjungitur; hoc, si v. g. vomitus, nausea, aliave conjungãtur, unde ventriculum

vel

vel alia coaffecta deprehendimus. Respectu CAUSÆ, humorum affluxus & præsentia ex recensitis apparet. Onerositas sanguinis *plethorica*, saltim quoad faciem, claret, si facies rubeat, tumor evidentior sit, venarum amplitudo cum calore conjuncta, nec humor destillans sit adeò mordax, nec dolor adeò vehemens. Sin à *biliosâ* causâ oriatur, adest rubor faciei minor, lachrymæ tenues & acutæ, quandoque exulcerantes, & per somnum non adeò coagulatæ, tumorque parvus visitur; interim punctura vel dolor acutus vehemens vel adurens magis præstò est, ita ut oculi quasi uri videantur. Et hæc communia ferè, *seri* verò abundantia affluxum majorem, biliosus status ob siccitatem ξηροφθαλμίαν magis prodit. Ab humore *pituitoso* rubedo, calor & dolor non ita molestant, & lachrymæ non adeò sunt mordaces; sed omnia remissiora sunt, nisi à pituitâ salsâ sit malum, ac cohæsiones palpebrarum per somnum fiunt magis, ut minus possint aperiri, muco quasi obducti, oculi. Si ab humore *melancholico* ophthalmia sit, noctu palpebræ non adeò conglutinantur, lachrymæ sunt paucæ, tumor parvus & durior, color ad nigredinem tendit, morbusque diuturnus & valdè contumax. Causæ externæ & epidemiæ aliæque è suis fontibus noscuntur. Maximè verò notabilis est ophthalmia ferina, benignæ contradistinguenda. Talis dici potest tum omnis vehementior & oculi exterminium intentans, tum seri rosionibus in toto capite, oculis, facie emicantibus, qualem à *Præside* nostro visam meminimus.

§. 29. Signa PROGNOSTICA ad eundem ductum, respectu proportionis morbi & naturæ, lustrari possunt. Quoad SALUTEM & MORTEM 1. ratione GENERIS, nullum vitæ periculum per se imminet, vel emanat ab ophthalmiâ, cum nulla pars principalis affecta, & adhuc est ἐν σχέσει, cumprimis ubi medicamenta appropriata subsidiaque convenientia vocantur in auxilium, & justa servatur diæta. Verùm si incrementum sumserit morbus & fit ἐν ἕξει, vel inveteratus magnisque symptomatibus stipatus, gravius da-

mnum

num inferre poteſt, & periculoſior meritò habetur. 2. Ratione SUBJECTI ophthalmia difficilius in puerili, quàm in aliis ætatibus, cœteris tamen paribus, curatur, neque enim facilè ſe curæ & regimini medico commodè ſubjiciunt pueri: inſuper illi caput imbecille & humoribus magis abundans habent, ſicut & ſenes. Melius ſperare poſſumus, ſi circa pubertatis vel menſium inſtantem terminum obſervatur præſens affectus, argumento *3. aph. 28.* Prout oculi plures partes vicinæ, palpebræ, muſculi, tunica cornea &c. læſæ & humor peccans intimius fixus, eatenus gravior eſt affectus. Membrana ſola affecta minus malum portendit. Per conſenſum capitis autem ophthalmia ferè ſæviora habet ſymptomata, quia quò pars nobilior affecta, eò graviora ejusmodi ſymptomata curatuque difficiliora emergunt. 3. Ratione CAUSARUM, quò benignior & mitior eſt humor, eò melius ſperandum & contrà. Humor ſanguineus eſt mitiſſimus & benè ſperare ægrum jubet; ferinus omnis peſſimus, bilioſus, ſeroſus, ſcorbuticus. Hic ſi diu perſeveret, pupillæ tabem & ῥυτίδωσιν arguit, aut oculi viſusq; corruptionem ac deſtructionẽ, verbo cœcitatem ſepe portendit, inprimis ſi oculos ſimul extuberet.

§. 30. Quoad LONGITUDINEM & BREVITATEM, durationis tempus variat reſpectu cauſarum, temporis anni, diætæ & aliorum accidentium. Inveterata & radicata longius requirit tempus, præ incipiente; dolor urgens ac perſeverans peſſimum ſignum, quod humoris acredinem, fibrillarum roſionem & continuatum affluxum notat. Si evacuationes ſpontaneæ ſubſequantur, ſpes maturæ ac ſecuræ liberationis affulget. Notari hoc loco meretur, ophthalmiam in acutam & chronicam commodè dividi poſſe, illam vocando, quæ ad inſtar aliorum acutorum in ſuo genere & affligit gravius, & cum periculo majori, inſigni tamen cum latitudine, adeoque brevius terminatur. Hanc quæ lentè progreditur, moleſta magis quàm periculoſa eſt, habituata quaſi. Tempora etiam ipſa, an in initio, an augmento, ſtatu vel declinatione ſit, variatio ſymptomatum & graduum morbi intenſio vel remiſſio patefacit.

§. 13. Mo-

§. 31. MODUM EVENTUS ophthalmia ſortitur non unum. Si enim æſtimetur ad inflammationum rationem, vel diſpaleſcit ſenſim ſenſimque, receptis ſuos in alveos ſangvine & ſero, nec exulcerantibus amplius, quod ſalutare eſt, & omni modo procurandum; vel tendit ad ſuppurationem, quod oculo funeſtum. Rarius tamen id contingit, niſi ſeri mali mos & diſpoſitio corporis cacochymica læſionem gravius foveat, ideò, quia oculus naturâ ſuâ frigidior eſt, porique anguſtiores, ut tantus abſceſſus reſpectu aliarum partium fieri non queat. Suppuratio verò levior, ſuperficiaria, in palpebris & partibus extra bulbum conſiſtens, non adeò timenda. Lachrymarum profuſio vel affluxus copioſus & continuus non adeò bonus; quamvis enim depleri videatur humor peccans, non tamen per locum affectum commodè id fit, ſi gravius impetat & longius, continui affluxûs indicio. Quod ſi autem ad alias nobiliores transfertur partes materia, per μετάστασιν, v. g. cerebrum, cor vel nucham, ubique res periculi plena evadit, ob ſymptomata graviora hinc exoriunda. Periculum etiam minatur, ſi nova accedat fluxio, quæ cœcitatis vel ſuffuſionis metum prænunciat. Si lippientibus caput aſſiduè longoque tempore dolet, ſi malum latiùs ſerpit & in malum morem abit, præſertim latente fomite in maſsâ ſanguineâ, vix boni quid ſperare poſſumus.

§. 32. Imperfectè etiam ſolvitur, ſi poſt ſe relinquat unguiculum, nebulam, ulcuſculum in corneâ, anguſtiam pupillæ, vel obſcurationem, imò & nonnunquam fiſtulam lachrymalem. Per accidens verò contingit nonnunquam, ut nonnulli poſt deſinentem lippitudinem acutius videant, quàm antea, diſcuſſis turbantibus humoribus & conſumptis. Frequentius contrarium videas, ſi gravius fuerit malum, æſtimandis omnibus hiſce ad ſtatum naturalem, quantum ab eo diſtent ac recedant.

§. 33. CURATIO duobus abſolvitur, indicationibus & materiâ præſidiorum. INDICATIO CURATORIA

morbum seu inflammationem oculi aufferre jubet. PRÆSERVATORIA sollicita est de causarum remotione, ut causa morbifica, si quantitate peccat, diminuatur; si qualitate, alteretur; si motu & fluxu, revellatur, derivetur, resolvatur, & discutiatur. VITALIS tonum oculi & totius attendit, ut symptomata urgentia mitigentur, & commodâ victûs ratione & medicamentis corroborantibus archeo subveniatur. Fini autem huic ex voto obtinendo inserviunt PRÆSIDIORUM MATERIÆ, ex triplici usitato fonte, nempe chirurgico, pharmaceutico & diætetico depromendæ.

§. 34. Primarium FONTIS CHIRURGICI remedium est VENÆ SECTIO, in subsidium vocanda, si mali gravitas proportionatum hoc & conveniens præsidium urgeat. Uti enim in leviori casu eâ non opus est, ita in graviori, vel ex sanguinis undis foto, remedium est saluberrimum. Si plethora onerosa totum obsideat, deplenda est; si in caput, idem innuitur. Major intemperies & sic alteratur, &, præsertim ubi sanguinis affluxus persentitur major, revulsionem præstat Venæsectio, quæ motum hunc concitatiorem aliquo modo compescit, & ne ad partes has tanto impetu ruat, impedit. Prodest ergò his casibus Venæsectio, sæpeque gravissimi oculorum dolores intra horæ spatium eâdem sublati sunt, qualia exempla apud *Galenum* & alios occurrunt, ab inflammatione oculorum & imminente cœcitate liberatis ægris per sanguinis missionem. An administranda sit, elucet inter alia ex dolore, qui gradum majorem innuit, unde hunc ferè *Cous* nominat, quando venæsectionem commendat *6. aph. 31.* & *7. aph. 46.* quibus consentiunt & reliqui medicinæ proceres. Multò magis id opus est, si uterque oculus simul laboret.

§. 35. Præsente ergò indicatione, sanguinem emittendum esse; si citò & tutò curationis opus perficere velimus, non cunctandum, sed initium morbi eligendum est, pro re natâ prius alvo evacuatâ. Speciale tempus quoad diem & horam præsenti directione absolvitur. Quod locum attinet,

cum dextra dextris magis consentiant, ad revulsionis & derivationis leges eligenda vena fuerit, modò major, ut in brachio, modò minor, ut in cephalicâ manûs, vel salvatellâ, prout depletionis necessitas variat. Præsentior revulsio fit in pedibus, longius sic retrahendo sanguine. Nec inconsultò secantur minori gradu ardoris venæ sublinguales, raninæ dictæ, revulsionem particularem & definitam magis pro capite præstantes, ubivis moderandâ quantitate pro virium & indicantis modulo.

§. 36 Imò cum fervidioris sanguinis appulsus feratur per arterias, ad eundem arcendum & temperandum ipsa SECTIO ARTERIARUM minorum in temporibus quandoque in auxilium vocanda, si malum v.g. revertatur sæpius, conjunctum sit cum dolore capitis, eoque pulsatorio, reliqua non juvent, viresque, ætas & artificis peritia consentiant.

§. 37. Nec CUCURBITULÆ SCARIFICATÆ, dorso affixæ, erunt de nihilo, præprimis si sanguinis copia non sit tanta, si æger adsuetus, habitus corporis consentiat, vel ipsa hæc evacuatio fuerit intermissa. Ita enim vicariam venæsectionis operam præstant, & per se insignissimè revellunt ad partes eductioni huic majori cum εὐφορίᾳ aptiores. Institui potest scarificatio in dorso, brachiis, aliisque partibus carnosioribus, imò & pone aures, quod ibidem decurrant vasa propinquius. Discussioni inserviunt etiam CUCURBITULÆ SICCÆ, dorso & brachiis applicatæ.

§. 38. VESICATORIA, cum seroso acri ichori deplendo unicè inserviant, summum ophthalmiæ sunt remedium. Si enim ex cantharidibus formâ emplastri vel cataplasmatis parata cervici, vel humeris quoque simul, applicentur, locum ostendunt naturæ convenientiorem, quò extrudere hostica salia, sub lymphæ vehiculo hospitata possit. Valent hæc itidem in ophthalmiâ recenti & inveteratâ, cum affluxu, rubedine majori, & aliis urgentibus.

§. 39. Utque varianda sunt instrumenta pro materiæ tractandæ diversitate; sic & hoc loco, si brevi tractu depletio

feri onerosi acrioris fieri nequeat, natura ad oculos affectet solennem quasi motum, & è massâ sanguineâ scaturiat hic impetus feri, ut duret longius vel repetat, aliaque mala graviora minetur, FONTICULI suadendi sunt, successivâ humoris evacuatione & revulsione continuatâ nobilissimi, in brachio vel pede inusti. Imò & in occipitio, ad revellendos humores ab oculis, instituuntur.

§. 40. SETACEUM, quâ operatione cervix acu compungitur, vulnusque apertum servatur, ut per id humores vitiosi evacuentur, multum auxilii in specie in affectibus oculorum promittit. Vehementissimas enim influxiones humorum, ne acervatim irruant, impedit; potenterque revellit. Hinc in affectibus oculorum gravioribus optimè laudandum est, ut duro nodo durum cuneum, gravi morbo heroicum sed tutum opponamus remedium. Locum habet in adultis & ipsis infantibus aliquando, reliquis non juvantibus, urgente tamen periculo, & diuturnitate, & molestiâ, ut libertatem nobilissimo membro fœneremur. Plenæ hinc sunt laudibus meritis autorum observationes, adeò ut in ophthalmiâ inveteratâ & lippitudine non dari generosiorem medelam, nullum præstantius remedium, statuatur in scholis medicis.

§. 41. Ita enim & vesicatorii & fonticuli superat vires setaceum, quatenus stricturâ continuatâ gemino ulcere magis sufficiens & præsentanea fit depletio, subjungendo hinc fonticulo in brachio, ubi per aliquot menses cum successu hoc divinum ἴαμα celebratum fuerit. Neque audiendi sunt, qui vel ob timiditatem intempestivam, vel nescio quas levidenses rationes contrarium sustinent. Si non juverit aliquando setaceum, non id remedii defectui, sed morbi gravitati & humorum copiæ adscribendum fuerit.

§. 42. FRICTIONES, quatenus revellendi humores fluentes potentiam cum reliquis præsidiis communem habent, conveniunt. Absolvuntur manibus vel linteolis asperis, sicciores ferè ut plurimum, tantisper continuandæ,

dum

dum abunde incalescat & mollius reddatur corpus, jucundusque rubor effloruerit. Eodem spectant etiam capitis pectinatio & frictio specialis, ventriculo jejuno blandè instituenda. Nimia enim frictio non minus ac motus corporis nocere potest.

§. 43. Præter hæc universalia præsidia chirurgica aliquando & specialia necessaria sunt, ut si quid illapsum oculo aquâ elui minus queat, si pili palpebrarum ad oculum deflectant, eumque pungant, resecandi & extirpandi; si lemæ & lachrymæ molestæ, detergendæ, quod providâ curâ omne præstatur.

§. 44. Ex PHARMACEUTICO fonte curationi inserviunt humori peccanti debita evacuantia, & tùm humori, tùm parti affectæ alterantia. Saburram è primis viis expediunt LENIENTIA ἐκκοπρωτικὰ, quæ & reliquis medicamentis apparant aditum, & fermentum intestinorum exuperans, bilem, & pituitam blandè detergunt, præservandi fine commodissima ac curandi. Ex his nominamus *pulpam cassiæ, tamarindorum, sennam, mannam* in jusculo solutam, *elect. lenitiv.* & inprimis MP *aloeticarum*, ex *aloe rosat. violat.* MP ♀*earum* ♂*lium*, ut & *pil. de succin. Craton. ess. rhabarb.* & *senn.* ☿*iat.* Eodem usu & clysteres vel suppositoria conducunt.

§. 45. Dum PRÆPARANTIA ante purgantia commendamus, divisas operas alterantium & purgantium esse debere innuimus, non aliter ac in republicâ emendatio tentanda, ut mores mutentur, quâ non obtentâ in exilium mittuntur incorrigibiles. Nec aliud intendunt digestiva universalia & specialia, eadem cum alterantibus.

§. 46. Eminentius verò serosos & biliosos humores è glandulis intestinalibus & consecutivè è massâ sanguineâ eliminant PURGANTIA. Quod revellentia sunt laudata quoad circumferentiam & ambitum humorum, id purgantia in centro quasi & radice. Dum enim cacochymiam auferunt, defecant reliquos succos, ut blandè decurrant, nec exundent hic illi, vel exorbitent. Visa est non rarò oph-

thalmia solâ purgatione curata, quæ via commodissima est & maximè naturæ conveniens. Prodesse hoc fine possunt medicamina ex *rhabarbaro*, *gialapâ*, *scammonio* aliisque parata, v. g. *pulv. laxativus vegetabilis*, *resin. gialapæ*, *scammonii*, *extract. helleb. nigr. panchymag. cathol.* varias in formas didenda.

§. 47. VOMITORIA verò omninò dissuademus, cum à violentâ & coactivâ illâ motione humorum στάσις jam præsens in facie promoveatur magis, adeoque hoc impulsu valido sanguis magis magisque in oculos propellatur.

§. 48. DIAPHORETICA ut omnium inflammationum remedia sunt genuina, ita quoque in hoc affectu apprimè juvant, quo nimirum affluxus & copia materiæ imminuatur, & humores redeant in ordinem legitimumque statum. Laudari hinc poterunt *ebur* & *CC. s. △*, *unicornu verum* & *fossile*, *lap. bez. oc. ♋*, *♁iata*, *cinnabarina* & *☿alia* ritè præparata, ♁ *diaph. bez. ♂ le*, *☽ re*, *cinnab. ♁* & *nativa ♎ ta*, *M. S.* ℞ *a bez.* facilè cum ophthalmicis & aliis miscenda, ut ▽ *card. ben. scordii*, *sambuci*, *prophylact. rob ebuli* & aliis. Idem verò longè magis valet, si lues venerea, dysenteria, febris & similia morbum foveant.

§. 49. Nec spem penitus defraudabunt DIURETICA mitiora, quæ serum fundunt, & ad renes atque vesicam ex toto corpore educunt, qualia ex ⊕ *o*, *succino*, *lap. ♋*, *arcano ♀ ri*, *clysso ♃ ii*, ℞ *â rosar. viol. papav. rhœad.* ⊕ *d. arcan. duplic.* & aliis mutuari licet.

§. 50. Ex evacuantibus particularibus laudem merentur MASTICATORIA, quæ destinata sunt superfluo sero evacuando, in salivalibus ductibus contento, ut isthinc quadantenus avocetur & ab oculis ad palatum derivetur, ne partibus nobilioribus inferat molestiam, paranda ex *cubebis*, *terrâ Japonicâ*, &c. Mmorandus inter ἀποφλεγματίζοντα hæc inprimis quoque est *tabacus*, cujus suffitus in serosis concedi potest.

§. 51. ERRHINA materiam pituitosam & lymphaticam etiam suo loco educunt, & sanguinem depurandi vim

eâ ratione habent. Sint autem illa mitiora, ne propter tunicas naribus conterminas nervi optici in consensum trahantur. Hinc Sternutatoriis consultius abstinemus, ne concutiendo ad lachrymandum inducamus oculos, & spiritus æquè ac humores confundamus.

§. 52. Alterantia & Confortantia interna hactenus præmissis colophonem addunt, quæ necessaria sunt tùm roborando viscerum tonum, tùm præcavendo, ne subrepat facilè suffusio, aut visus ipse in deteriorem statum ruat. Faciunt ergò huc partim communia alterantia & refrigerantia hepatica, partim cephalica & ophthalmica, v. g. ex *M.S. antiscorb.* ℞*â ♂ c. arc. ♀ri, elix. propr. ♂li,* ℞*â fl. bellid. composs. essent. lign.* ℞ *coral. c. ∽ lign. ess. fumar. s & compos., ♁ii, spec. diamarg. fr. diarhod. diatr. sandal. specificum cephalicum, succinata, perlæ & mater perl. nepeta, valeriana, euphras.* indeque parata infusa, tragemata, electuaria, mixturæ &c.

§. 53. Præter interna etiam Externa, topica dicta, necessaria sunt, tum partibus vicinis, oculorum externo tegmini, fronti, nuchæ, temporibus, tum ipsi affecto oculo applicanda, & varianda non tantùm respectu inflammationis ipsius, ejusque temporum, sed & comitatorum aliorum. Præstant reliquis polychresta, pluribus scopis satisfacientia, primariâ intentione repellendi, discutiendi & demulcendi ante oculos habitâ. Reliqua secundaria sunt magis.

§. 54. Non promiscuè tamen & sine cautelâ in usum vocanda hæc Topica. Non v.g. nisi præmissis universalibus, vel saltim non neglectis; non ultrà εὐφορίαν & intempestivè. Valet enim & de his sæpe: nõ patitur lusum oculus, & sæpe religiosâ nimis medicamentorum copiâ lædi eundem compertum est. Non nimis acria, vel lenta, quorum illa tristi inducto sensu magis irritant, hæc verò obviscant. Non æquè semper frigida, sed tepida quoque, blandis enim & mucilaginosis, adde verò & acriusculis, delectantur oculi. Urgente dolore magis demulcendum, urgente inflammatione magis temperandum, ubivis tono non neglecto.

§. 55.

§. 55. Repellentia affluxum arcent, refrenato calore, poris defensis, alterato fervido & rarefacto humore, ex frigidis aqueis, & mucilaginosis concinnanda. Acida enim refugit oculus & aliàs, & hoc potissimum casu. Sic ex alumine cum albumine ovi & ▽ rosarum conquassatis facilè epithema ophthalmicum paratur non infimi usûs. Tales etiam sunt aquæ pleræque ophthalmicæ, quæ ratione frigoris & humoris sui repellunt, ratione salium subtilium digerunt; item mucilago *sem. cydon. psyll.* caro vituli recens mactati, fungus sambuci cum ▽is ophthalmicis mollefactus, catapl. ex pomis dulcibus, quæ ipsa ad temperandos humores etiam nuchæ solent applicari nonnunquam. Discutientia στάσιν prohibent, & coituros p. n. ex ordine dimovent, uti sunt acriuscula. Demulcentia partem roborant & acrimoniam temperant ac obtundunt, qualia sunt mucilaginosa, & inter hæc lac ipsum recens emulctum blandè detergit & demulcet suaviter, magis tamen exterius, pro palpebris, quàm interius, instillandum.

§ 56. Ad horum modulum judicanda & seligenda, quæ in collyria aptantur, ex aquis *calcatrippæ, cyani, euphrasiæ, chelid. maj. rosar.* & simil. ex *perlis præparat. ♁ diaph. croc. metall. vitr. ♁, fl. cinci, ⊕l. alb. lap. calam. tut. Alex. sarcocoll. mag. & sacch. ♄, sief alb. c. & sine opio, unguent. nihil. pinguedo viperina* ipsa suis casibus, ubi discutiendi fuerit intentio & resolvendi, habito utrobivis selectu, v. g. in unguiculis & aliàs. Opiata verò acrimonia suâ exterius magis irritant dolorem hunc, quàm juvant; nisi internè quis malit, vel parcius saltem externè remiscere.

§. 57. Restat DIÆTÆ regimen probè observandum. Hinc in VITALI Aer eligatur temperatus & purus, fumi, pulveris & ventorum austrinorum expers, qui, humores movendo, oculos lachrymis aliisq; subsequentibus malis suffundunt. Obscurior etiam paulò & tenebricosior locus eligendus est, in quo curationi se submittant ægri, lucifugos enim eâ conditione eos existere minimè

mè turpe ipſis eſt. Non malè quoque ſolent oculi pannis viridibus leniter obtegi, qui color inter flavum & cœruleum medius eſt, & cum hocce oculis gratiſſimus, quia blandè lucem moderatur; rubrorum autem, rutilantium aut fulgentium intuitus ſtudjosè fugiendus eſt, quia lucem intendunt & improportionatam reddunt debilibus jamdum oculis, unde & luminoſa omnia intenſius removenda ſunt.

§. 58. In NATURALI CIBUS ſit laudabilis, boni ſucci, facilisque digeſtionis; temperatus quoque & in juſtâ quantitate aſſumatur. Inſuper non ingeratur novus modò ingeſto vel aſſumto. Vitentur è contrario acria, dulcia, ſalſa, aromata, quæ bilem augent, aut humorum acrimoniam malumq; promovent; item quæ flatus vaporesque generant & excrementitios humores producunt, ut cepæ, lac, olera, & quæ cum aceto parantur, quorum nonnulla in præcedentibus attigimus. Exprimit conjunctim hæc noxia & vitanda Poeta:

Hæc oculis multum, ſol, pulvis, fumus & æſtus,
Ventus cum fletu, vina venusque nocent.
Acria ne mandes, nec quæ ſint plena vaporum,
Nec cepas, lentes, allia, porra, fabas.

§. 59. POTUS ſit cereviſia defecata, nec nimis lupulata, aut propter lolium ſpiritibus & oculis infeſta, nec nimis recens. Confortandi & alterandi fine etiam medicata varia facilè parari poteſt pro ordinario potu. Vinum, conjunctâ cruditate, exuperante pituitâ & ſpiritibus debilibus, moderatâ quantitate concedi poteſt; contrario ſtatu minus. Ebrietas omnis caveatur; inde enim ad caput, articulos & oculos potiora damna reſultant.

§. 60. In DIÆTA ANIMALI SOMNUS & QUIES pro oculis afflictis optima ſunt præſidia. Ita enim oculus non movetur, nec exercetur, nec lumen adeò admittitur, aut humores ad illum affluunt, dolor itidem mitiga-

tur. Vigiliis è contrario & lucubrationibus spiritus irrequieti minus componi amant, sed exacerbari potius solent. Æger non dormiat in latere, cujus oculus afficitur, cubetque elevato magis capite. Motus post pastum non minus ac lectio & scriptio cavenda sunt. Exercitia quoque alia, quibus intenti debent esse oculi, fugiantur.

§.61. EXCRETA & RETENTA suum habeant consuetum modum; servetur itaque alvus quotidiè muneris sui memor, si non naturâ, arte tamen sollicitata. Eadem ratio est mensium & hæmorrhoidum, sudoris & similium excretionum. ANIMUS liber conservetur à motibus impetuosis. Pacatus sit potius, nec irâ excandescat, nec mœrore aut tristitiâ consumatur.

SOLI DEO GLORIA!



Qui possis nævos oculis depellere, monstras;
Inde labore Tuo præmia digna cape.
Bina caput cingent serta: unum sponsus habebis,
Alterum & ipse dabit noster Apollo Tibi.

Clarissimo Dn. Doctorando hæc gratulab. adpon.
Rudolf. Wilhelmus Krauß/ D.
P.P. h.t. Acad. Rector.



Il prodeſt oculis, vulgata paroemia fertur;
aſt nihil hoc oculis utile non nihil eſt.
Tu præbes oculis nihil & medicamina vera;
non nihil, aſt multum proderit hicce labor.
Jam præſtò eſt inſignis honor, jam purpura clara,
quæ Veneri contrà Phœbus opima parat.

Amico & gratulante animo ſcribeb.

PRÆSES.



Uæ variis vitiis oculorum cura medendi
Sit, docto ſcripto, *Fautor amande*, doces.

Hinc

Hinc capias fructum doctrinæ, dextera Jovæ
Lætitias fundat delitiasque TIBI!

Hisce αὐτοσχεδίως
Nobilissimo DN. Doctorando, Fautori & amico singulariter colendo, de novis honoribus gratulatur

M. Gottfried Pfeiffer.

QUilibet in medio certanti palma reposta;
Sed bene currenti donatur palma reposta.
Hactenus in stadio Medicorum quærere palmam
Magna fuit Tibimet, *Frater dulcissime*, cura.
Sic docet hocce Tuum ingenii, quod prodis, acumen,
Atque palam magnâ Cathedrâ cum laude tueris.
Sunt oculi testes, quorum de ponte labores
Dejicis. En oculos ægrotus honestet utrosque.
Artibus hinc meritò partos Tibi grator honores,
Ut terræ patriæ decori sis jugiter, optans.

Sic gratulaturus fratris sui honoribus accinebat

Johannes Heinricus Rehme,
LL. Studiosus.